



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CLXXI. An vnus Deus sit auctor omnium rerum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

S. Thom. de operatione Dei cum omnibus causis. hoc est, utrum Deus omnia operetur per seipsum, an cum secundis causis: de hoc enim disputat q. 104. & 105. & præsertim de substantijs creatis docet q. 104. ar. 2. omnes à Deo proximè conseruari: de omnibus vero operationibus creaturarum inquit, non solum esse à secundis causis creatis: sed etiam à Deo prima omnium causa: non modo remote, hoc est conseruando creatas causas: verum etiam proximè cum illis operando eundem effectum omnino indiuiduum: de quo hic differendum non est, sed 1.2. q. 79. artic. 1. & 2. Nunc ergo solum inquirendum est, an vnus verus Deus sit causa omnium rerum, siue per creationem, siue alio modo: siue proximè, siue remote.

DISPUTATIO CLXXI.

An vnus Deus sit author omnium rerum.

Varij errores hereticorum. cap. 1.

Catholica doctrina contra hereticos statuitur. cap. 2.

CAPVT I.

Varij errores hereticorum.

Antequam doctrinam Catholicam in medium afferamus, & confirmemus, varios errores recensere operæpretium erit. Prima igitur hæresis fuit Simonis Magi, qui omnium primus ex Euangelio hæreticus, vt auctor est Tertull. loco infra citando, hunc mundum visibilem, & homines, non à Deo, sed ab Angelis factos fuisse, Angelos vero ex seipso, & ex muliere quadam circumlatrice, quam Helenam vocauit, progenitos esse dixit: esse enim esse Spiritum sanctum, & Deum, iactabat: Sic scribunt Iren. lib. 1. aduers. hæreses cap. 20. & 12. Epiph. hæres. 11. Theod. lib. 1. hæretic. fabul. capit. 3. & Tertull. libro de præscript. cap. 46. qui addit, hunc Simonem seipsum appellasse infinitam sapientiā, & Iudæis tanquam Filium apparuisse: ad Samaritanos autem tanquam Patrem descendisse: ad alias autem gentes tanquam Spiritum sanctum accessisse, iactabat.

Secunda hæresis fuit Saturnilianorum, qui à Saturno sic vocati sunt. Hi dicebant Deum auctorem fuisse omnium Angelorum: à Septem tamen ex illis, præter ipsius Dei consensum, hunc mundum visibilem formatum fuisse, atq; in hominis productione illis verbis vsos fuisse Genes. 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrā. Secreferunt ex Græcis Epiph. hæres. 23. & Theod. lib. 1. hæretic. fabul. cap. de Saturno. Iren. lib. 1. cap. 22. ex Latinis vero Tertull. lib. de præscript. cap. 46. August. lib. de hæres. cap. 3. qui hunc hæreticum Saturnium appellant.

Tertia hæresis est Basilidis, qui teste Epiph. hæres. 24. & Theod. lib. 1. hæretic. fabul. cap. de Basilide, & Tertull. libro citato, cap. illo 46. & Iren. lib. 1. cap. 23. August. eodem lib. cap. 4. cum assereret, esse 365. cælos, & multitudinem Angelorum; omnes sic dicebat esse productos; vt ex Deo, quem Abraxan vocabat, creata fuerit mens, ex mente verbum, ex illo prouidentia, ex prouidentia virtus, & sapientia; ex istis dein de principibus, & potestatibus, & Angelis: ab his vero Angelis cælos illos hoc ordine præcreatos assererat; vt primum cælum conditum fuerit à virtutibus, potestatibus, atque Angelis, & cum eo alij Angeli creati; qui rursus pro-

duxerint, secundum cælum, & alios cum eo Angelos: qui deinde tertium cum alijs Angelis cælum fecerunt; & sic vsque ad vltimum: & tandem mundum inferiorem, & hominem à postremi cæli conditoribus emanasse dicebat.

Quarta hæresis Carpocratæ, & Cerinthi, atque eorum discipulorum, qui dicti sunt Gnostici, id est, scientes, cum prædictis conuenit. Asserit enim Angelos à suprema virtute productos, defecisse, & mundum visibilem condidisse, vt scribit Epiph. hæres. 27. & 28. Theodor. lib. citato, cap. de Carpocrate, Iren. lib. 1. cap. 24. & 26.

Hæ sunt non solum manifestæ hæreses, sed etiam fabulæ, aut somnia plena figmentis: quæ facile quique Scriptura, & ratione refutari potest. Ceterum hi somniores non omnino negarunt, Deum auctorem rerum omnium, siue proximè & per se ipsum, siue remote & medijs causis ab eo conditis. In eo tamen manifeste delirarunt, quod assererent, mundum à Deo effectum sine ipsius Dei nutu, & voluntate, vt dicebat Cerinthus, & qui ipsum sequuti sunt. Cum enim omnia nutu ipsius subsistant, & conseruentur, vt infra disput. 17. ostendemus; fieri nequit, vt aliqua causa sine ipsius concursu operetur: nam licet peccatum, quatenus malū est, siue ipsius nutu & consensu fiat, tamen substantia actus sine illo producti nequit, vt 1.2. q. 79. art. 1. & 2. videbimus.

Gnostici porro, qui vel à Nicolao, vel à Carpocrate exorti sunt, asserentes, esse duos Deos, alterum bonum, alterum malum. videntur, sicut Manichæus, docuisse, mundum hanc visibilem à Deo malo fuisse productum. Hunc errorem hoc modo tribuunt recentiores Theologi his hæreticis, quod August. de hæresib. ad Quodvultideum cap. 6. de illis dicat hæc verba: Dicunt quoque bonum Deum, & malum Deum in suis habere dogmatibus. Sed in Epiph. hæres. 26. & 27. vbi de his Gnosticis agit, nihil tale inuenire potui: quinimo hæres. 27. de Carpocrate, à quo etiam dixit, Gnosticos effluxisse, tantum refert hæresim illam proximè memoratā de productione mundi ab Angelis: neque August. refert Ex Epiph. Gnosticos dixisse mundum hunc corporeum à malo Deo conditum fuisse.

Primus igitur, qui posuit duo principia alterum Deum bonum, alterum malum, fuit Apelles, vt auctor est Epiph. hæres. 44. & August. hæres. 23. à quo Appelliani dicti sunt, mundum deinde visibilem Deo malo factum esse, dixit: ita vt nullam illius Deus bonus curam gereret. Ceterū cum diceret Apelles, vt etiam referunt Epiphanius, & August. Deum malum factum à Deo bono, nec duo principia æque prima poneret; remote saltem in Deū bonum, tanquam in auctorem mundum hunc referebat. Quocirca doctrinæ huius articuli non tā directè opponitur.

Tandem Manichæus, vt scribit Epiph. hæres. 66. & Theodor. lib. 1. hæretic. fabul. cap. vlt. non modo duo principia seu duos Deos posuit, alterum bonum, alterum malum; sed etiam eos ingenitos, coæternos, & sibi inuicem contrarios esse affirmavit. Quare cum dixit, hunc mundum visibilem, quod ad naturas malas spectat, à malo Deo conditum fuisse. Deum autem bonum non esse auctorem rerum omnium neque proximè, neque remote; directè contra Catholicam doctrinam, quam habet S. Th. in hoc art. spugnauit: quæ autem essent bonæ, & malæ naturæ tradidit Augustin. loco citato. Ceterum

Carpocratis
& Cerinthi
error.

Apelles
etiam

Manichæus

4.

Cerdonis
61227.

Ceterum ante Manichæum Cerdon tempore Higinij Papæ, teste Epiph. heres. 41. & August. cap. 21. beno lib. 1. aduersus hereses, cap. 28. & Tertulian. lib. de præscrip. heretic. cap. 5. i. introduxit etiam duos Deos, alterum ignotum mundo, quem Patrem esse dicebat Christi; hunc autem bonum appellabat; alterum vero opificem totius creaturæ, scilicet, & crudelem, & hominibus satis notum. Sic intelligendus est Irenæus, cuius verba obscura sunt, cum ait: alterum quidem iustum, alterum autem bonum esse ex sententia Cerdonis: nam nomine iusti, scilicet, & crudelem intelligit. Clariora sunt verba Irenæi apud Euseb. lib. 4. hist. c. 10. Conueniebat ergo cum Manichæo; ponens duo principia, alterum bonum, alterum malum: nisi quod ipse omnes creaturas Deo meo, ut auctori tribuebat: Manichæus autem aliquas bonas Deo bono reservabat. Manichæo consenserunt, Priscilliani in Hispania; qui à Priscilliano Abulensi originem traxerunt, ut scribit Leo I. Epist. 91. quæ est ad Turibium cap. 14. ubi eorum damnat errorem: deinde Albigenes noui Manichæi in Gallia tempore Innocentij III. ut auctor est Antonius 3. part. histor. tit. 19. cap. 1.

Priscilliani
nisi.

Leo I.

Albigenes.

Antonius.

CAPVT II.

Catholica doctrina contra hereticos statuitur.

Catholica doctrina est, vnum Deum summe bonum initio temporis vtramque de nihilo condidisse creaturam corpoream, & spiritalem; spiritus videlicet angelicos, cælestia, corporea, & elementa. Nam pisces, aues, arbores, bruta animalia, & hominem de materia horum elementorum produxit, vt ex 1. c. Genes. constat. demum ita omnia etiam, quæ deinceps genita fuerunt, in Deum auctorem reuocanda esse: vt saltem ea medijs causis creatis Deus produxerit. Vtrum autem cum illis actu concurrat, & operetur, an eas solum conseruet, nunc disputandum non est, sed 1. 2. q. 79. ar. 1. & 2. neque enim de hac re hic disserit S. Thom. vt in notationibus articuli dixi.

S. Thom.

Hæc veritas ex Scriptura, Concilijs, & Patribus adeo manifesta est, vt superuacuum sit, eorum testimonia singulatim referre. Superest igitur, vt ratione philosophica confirmemus. Inter reliquas vero optima est, quam affert S. Th. in hoc art. in hunc modum. Quidquid est tale per participationem, debet esse ab eo, cui essentialiter conuenit esse tale: sicut ferrum ignitum, quia per participationem ignitum est, illud habet ab igne, qui est per essentiam talis: at qui omni alia præter Deum, non sunt suum esse, sed participant illud: ergo habere debent esse ab eo, qui per suam essentiam habet esse: hoc est, cui est essentialiter ipsum esse & existere, huiusmodi ens est Deus: ergo omnia à Deo habent esse. Hæc ratio plane demonstrat, omnia esse à Deo, saltem remote: nam hic non contendimus probare, Deum proximè operari in omnibus rebus: id enim alio loco tractat S. Th. & nos alibi etiam probabimus, vt promissimus.

Omissis autem multis, quæ in explicationem huius rationis notat Caietanus, hoc solum obseruandum est, S. Tho. inde colligere, ipsum existere, esse de essentia Dei, & Deum esse suum existere; quia est idem omnino essentia Dei, & eius esse. Sic probant q. 3. art. 4. Atque hinc etiam deduxit quæst. 7. art. 1. Deum esse infinitum per essentiam, eo quod non habet esse receptum in essentia; sed

eius essentia est suum esse: contra vero ar. 2. ostendit omne ens, præter Deum, non esse infinitum secundum essentiam; quia non est suum esse, sed habet esse receptum, vel est forma recepta in materia, vel existentia, & esse in essentia. Verum, quia non ita facile probari potest, in rebus creatis existentiam distinguere ab essentia, & in ea recipi quoniam oppositum non minus probabile est, vt in p. q. 17. art. 2. monstrabimus: ideo facilius via hæc ratio formari potest, hoc modo. Id quod ita est actum, vt non possit non esse, per essentiam existit, hoc est, ita est illi essentialiter ipsum esse, sicut quæuis alia prædicata: ac proinde à seipso est, nullo alio indigens: & hoc diximus esse infinitum per essentiam disp. 25. est autem proprium ipsius Dei: nam quod ex se ita est, vt non possit non esse, nec aliquo alio indiget, est ens supremum, quod appellamus Deum: atqui non potest esse nisi vnus Deus, vt q. 11. demonstratum manet: ergo cetera omnia, præter hoc ens, non erunt entia actum existentia per essentiam, sed alia, quæ possint ex se esse, & non esse: quod autem est huiusmodi ab alio est: nam ex se nihil potest esse indifferens, vt hic, & non sit: neque potest esse processus in infinitum: ergo tandem ad vnum illud ens, quod per essentiam est deuenire debemus, à quo cetera omnia vel remote vel proximè esse fateamur, & hoc solum S. Thom. in hoc art. demonstrare contendit. Quid vero de hac re sentiat Aristot. breuiter dixi disput. 81. capit. 1.

ARTICVLVS II.

Vtrum materia prima sit creata à Deo.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod materia prima non sit creata à Deo. Omne enim quod fit, componitur ex subiecto & extrinseco alio, vt dicitur in 1. Physic. sed materia prima non est aliquid subiectum. Ergo materia prima non potest facta à Deo.

2. Præterea. Actio & passio diuiduntur contra se inuicem. Sed sicut primum principium actuum est Deus, ita primum principium passiuum est materia. Ergo Deus & materia prima sunt duo principia contra se inuicem diuisa: quorum neutrum est ab alio.

3. Præterea. Omne agens agit sub similitudine. Et sic cum omne agens agat in quantum est actus, sequitur quod omne factum aliquo modo sit in actu. Sed materia prima est tantum in potentia in quantum huiusmodi. Ergo contra rationem materiarum prima est quod sit facta.

Sed contra est, quod dicit Augustinus in conf. Duo fecisti Domine, vnum proprium, scilicet, Angelum: aliud proprium, scilicet, materiam primam.

Respondeo dicendum, quod antiqui Philosophi paulatim, & quasi pedetentim intraverunt in cognitionem veritatis. A principio enim quasi grossiores existentes non existimabant essentia, nisi

corpora sensibilia. Quorum qui ponebant in eis motum, non considerabant motum, nisi secundum aliqua accidentia, ut puta secundum raritatem & densitatem, per congregationem & segregationem. Et supponentes ipsam substantiam corporum increatam, assignabant aliquas causas huiusmodi accidentalium transmutationum, ut puta amicitiam, litem, intellectum, aut aliquid huiusmodi. Vtque procedentes distinxerunt per intellectum inter formam substantialem, & materiam, quam ponebant increatam: & perceperunt transmutationem fieri in corporibus, secundum formas essentielles. Quorum transmutationum quasdam causas vniuersaliores ponebant, ut obliquum circulum, secundum Aristot. ideas, vel secundum Platonem. Sed considerandum est, quod materia per formam contrahitur ad determinatam speciem, sicut substantia alicuius speciei per accidens ei adueniens contrahitur ad determinatum modum essendi, ut homo contrahitur per album. Vtrique igitur considerauerunt ens particulare quadam consideratione: vel in quantum est hoc ens, vel in quantum est tale ens: & sic rebus causas agentes particulares assignauerunt. Et vterque aliqui exeruerunt se ad considerandum ens in quantum est ens: & considerauerunt causam rerum, non solum secundum quod sunt hæc, vel talia, sed secundum quod sunt entia. Hoc igitur quod est causa rerum in quantum sunt entia, oportet esse causam rerum, non solum secundum quod sunt entia. Hoc igitur quod est causa rerum in quantum sunt entia, oportet esse causam rerum, non solum secundum quod sunt entia. Hoc igitur quod est causa rerum in quantum sunt entia, oportet esse causam rerum, non solum secundum quod sunt entia.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus in 1. Phys. loquitur de fieri particulari, quod est de forma in formam, siue accidentale, siue substantiale: nunc autem loquitur de rebus secundum emanationem earum ab vniuersali principio essendi, à qua quidem emanatione nec materia excluditur, licet à primo modo factionis excludatur.

Ad secundum dicendum, quod passio est effectus actionis. Vnde & rationabile est, quod primum principium passium sit effectus primi principij actiui. Nam omne imperfectum causatur à perfecto. Oportet enim primum principium esse perfectissimum, ut dicit Arist. in 12. Metaphys.

Videtur in 1. p. 1010, 2.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa non ostendit, quod materia non sit creata, sed quod non sit creata sine forma. Licet enim omne creatum sit in actu, non tamen est actus purus. Vnde oportet, quod etiam illud quod se habeat ex parte potentie sit creatum, si totum quod ad esse ipsius pertinet creatum est.

Notationes circa doctrinam articuli.

CONCLUSIO est affirmans, & non minus de fide, quam præcedens. Patet autem ex omnibus, quæ diximus in disput. præced. Et quidem cum superiori art. iam probasset S. Doctor, Deum esse causam efficientem ceterorum omnium, quæ sunt præter se; iam satis id ipsum probatum fuerat de materia prima. Ceterum quia non defuerunt heretici, qui speculationem circa materiam primam errauerint; ideo operæpretium fuit, nouum de ea articulum instituere. Faciunt autem in primis Philosophi, qui cum plane sentirent, mundum initio temporis conditum esse; asseruerunt tamen, materiam primam ingentam fuisse, & Deo coeternam. Sic sensit Plato, ut scribit Plutarch. 1. lib. de placitis philosophorum, & plerique alij, & Ambros. lib. 1. Hexam. Sic etiam docuerunt Stoici, ut ex Tertull. statim referemus. Et Zenon philosophus, ut ipse Tertull. testatur lib. de præscript. heretic. cap. 7. Inter hereticos vero hunc errorem primus sequutus est Hermogenes, ut author est Tertull. lib. aduersus ipsum, cap. 1. secutus (ut ipse ait) Stoicorum porticum, seu scholam. Eundem errorem Tertullianus eidem Hermogeni adscribit lib. de præscript. heretic. c. 3. & Marcioni lib. 5. aduersus ipsum, cap. penult. Eisdem impingit hunc errorem Theod. lib. 1. heretic. fabular. cap. de Hermogene. & cap. de Marcione. Eiusdem erroris Hermogenis mentionem faciunt Isidor. lib. 8. Etymol. cap. 5. Rabanus lib. 2. iusti clerici. capite 58. & Gratianus Canone, quidam autem 14. quæst. 3. Quare fallitur Gabriel Præteolus in Elencho hæresum, cum Hermogenem facit Sabellij assecram tempore Galieni Imperatoris; cum multo fuerit antiquior. An vero errorem Sabellij contra Trinitatem personarum fuerit secutus, dictum est disp. 109. cap. 1.

In eodem errore fuisse Sabellianum, constat ex Eusebio lib. 7. de præpar. Euang. cap. 8. & 9. Deinde Seleucum, à quo Seleuciani, & Hermiani, à quo Hermiani, ut scribit August. hæres. 59. quinimo, si credimus Chrysost. homil. 2. in Genes. post medium. Valenti. & Manich. idem docuerunt. Sic enim ait: Si Manichæus te accesserit dicens, materiam præexistere, vel Marcion, vel Valentinus, vel Gentilis; dic ad illū. In principio fecit Deus cælum. & terram: & hæc de causa Albanenses, seu Albigenes, noui in Gallia Manichæi idem senserunt, ut refert Alphonsus Castro aduersus hæreses, verbo, mundus.

Contra hunc errorem est manifesta Ecclesiæ definitio in Concilio Lateran. & refertur in cap. firmiter. de summa Trinit. & fide Catholica. ubi definitur, Deum ex nihilo vtramque condidisse creaturam. Multi quoque Patres scripserunt, Lactantius lib. 2. c. 9. Tertull. loco citato, Ambros. lib. 1. August. hexam. Aug. lib. 1. de Genesi. c. 1. & 5. idem lib. 1. super Genesim ad literam, c. 14. & lib. de vera religione. c. 18. & lib. 10. contra Faustū, c. 14. & lib. 12. confess. c. 4. de hac re fragmentū habet Orig. apud Euseb. lib. 7. de præpar. ratione.

8.

Aliqui philosophi materiam increatam dicebant.

Plato.

Zenon.

Hermogenes.

Præteolus.

9.

Eusebius.

Chrysost.

Cicero.

batur ex C.

cibus, & Pa-

tribus.

Lactantius.

Ambrosius.

Augustinus.

10.

Origenes.

G g

ratione

Nyssen.
Athanaf.

ratione Evangelica 8. ibi etiam & c. 9. ipse Eusebius disputat, Epiphani. heres. 66. vbi Manichæo hunc tribuit errorem: Gregor Nyss. lib. de homine. Athanas. de incarnat. verb. Ex Scriptura quoque confutari potest. Tum quia Genesi. i. dicitur Deum in principio fecisse omnia; neque exprimitur de quo illa produxerit: cum tamen dicatur, quando produxit hominem, de limo terræ eum fecisse, pisces ex aqua &c. Tum etiam quia Psal. 145. dicitur fecisse, Cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. Isa. 41. Ecce vos estis ex nihilo & 2 Machab. 7. Et peto à te, vt aspicias ad cælum & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt, vt intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus. ad Rom. 11. Quoniam ex ipso, & in ipso, & per ipsum sunt omnia.

Psalm. 145.
Isaia 41.
Machab. 7.
Ad Rom. 11.
Ratione naturalis.

Porto ratione naturali idem optime conuincitur. Id enim, quod ex ipso est, & nullius indiget extra se, vt sit ita perfectum est, vt sit Deus, & infinitum secundum essentiam, hanc enim diximus esse rationem in finiti secundum essentiam disp. 25. si ergo materia non esset ab alio; non modo non esset imperfectissimum ens; verum etiam esset Deus. Aut qua ratione fieri potest, vt materia prima, quæ est omnium imperfectissimum ens, causa, non indigeat, vt producat; cetera autem producantur? An vero à secundis causis media forma, quam inducunt efficienter procedat, sed à Deo conferretur, i. s. d. p. 147. dicemus. Nunc vero de materia hæc sufficiant.

ARTICVLVS III.

Vtrum sit Deus causa exemplaris.

236.
30. q. 7. ar. 1.
ad 3. Et 1. co.
21. lib. in
prin.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod causa exemplaris sit aliquid præter Deum. Exemplatum enim habet similitudinem exemplaris: sed creaturæ longe sunt à diuina similitudine. Non ergo Deus est causa exemplaris earum.

Ar. 2. huius
quæst.

2. Præterea. Omne quod est per participationem, reducitur ad aliquid per se existens, vt ignitum ad ignem, sicut iam dictum est. Sed quæcumque sunt in sensibilibus rebus, sūt solum per participationem alicuius speciei. Quod ex hoc patet, quod in nullo sensibile inuenitur solum id quod ad rationem speciei pertinet, sed adiungitur principiis speciei principia indiuiduantia. Oportet ergo ponere ipsas species per se existentes, vt per se hominem, & per se equum, & huiusmodi. Et hæc dicuntur exemplaria. Sunt igitur exemplaria res quædam extra Deum.

3. Præterea. Scientiæ & definitiones sunt de ijs speciebus: non secundum quod sūt in particularibus, quia particularium non est scientia, nec definitio. Ergo sunt quædam entia quæ sunt entia vel species non in singularibus. Et hæc dicuntur exemplaria. Ergo idem quod prius.

4. Præterea. Hoc idem videtur per Dionys. qui dicit 5. c. de diuin. no. quod

ipsum secundum se esse prius est eo, quod est per se vitam esse, & eo quod est per se sapientiam esse.

Sed contra est, quod exemplar est idem quod idea. Sed idea secundum quod August. lib. 38. q. dicit, sunt formæ principales, quo diuina intelligentia continentur. Ergo exemplaria rerum non sunt extra Deum.

Respondeo dicendum, quod Deus est prima causa exemplaris omnium rerum. Ad cuius euidentiam considerandum est, quod ad productionem alicuius rei id eo necessarium est exemplar, vt effectus determinatam formam consequatur. Artifex enim producit determinatam formam in materia propter exemplar ad quod inspicit, siue illud sit exemplar, ad quod extra intuetur, siue sit exemplar interius mente conceptum. Manifestum est autem quod ea quæ naturaliter sunt, determinatas formas consequuntur. Hæc autem formarum determinatio oportet quod reducat, sicut in primum principium in diuinam sapientiam, quæ ordinem vniuersi excogitauit, qui in rerum distinctione consistit. Et ideo oportet dicere quod in diuina sapientia sunt rationes omnium rerum: quas supra diximus ideas, id est, formas exemplares in mente diuina existentes. Quæ quidem, licet multiplicentur secundum respectum ad res, tamen non sunt realiter aliud à diuina essentia, prout eius similitudo à diuersis participari potest diuersimode. Sic igitur ipse Deus est primum exemplar omnium. Possunt etiam in rebus creatis quedam aliorum exemplaria dici secundum quod quædam sunt ad similitudinem aliorum, vel secundum eandem speciem, vel secundum analogiam alicuius imitatoris.

Ad primum ergo dicendum, quod licet creaturæ non pertingant ad hoc, quod sint similes Deo secundum suam naturam similitudine speciei, vt homo generanti homini generanti: attingunt tamen ad eius similitudinem secundum representationem rationis intellectus à Deo, vt Domus quæ est in materia, domus quæ est in mente artificis.

Ad secundum dicendum, quod de ratione hominis est quod sit in materia. Et sic non potest inueniri homo sine materia. Licet igitur hic homo sit per participationem speciei, non tamen potest reduci ad aliquid existens per se in eadem specie, sed ad speciem super excedentem, sicut sunt substantiæ separata. Eadem ratio est de aliis sensibilibus.

Ad tertium dicendum, quod licet quolibet

qualibet scientia, & definitio sit solum entium, non tamen oportet quod res eundem modum habeant in essendo, quem intellectus habet in intelligendo. Nos enim per virtutem intellectus agentis abstrahimus species vniuersales à particularibus conditionibus: non tamen oportet quod vniuersalia præter particularia subsistant ut particularium exemplaria.

Ad quartum dicendum, quod sicut dicit Dionysius 11. cap. de diuin. nom. per se vitam, & per se sapientiam quandoque nominat ipsum Deum, quandoque virtutes ipsis rebus datas: non autem quoddam subsistentes res, sicut antiqui posuerunt.

CONCLUSIO est, Deus ratione idearum, quas in se habet, est rerum omnium causa exemplaris. De ideis autem satis superque à nobis dictum est per totam quæst. 15.

ARTICVLVS IV.

V. Deus sit causa finalis omnium rerum.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod Deus non sit causa finalis omnium. Agere enim propter finem videtur esse alicuius indigentis sine. Sed Deus nullo est indigens. Ergo non competit sibi agere propter finem.

2. Præterea. Finis generationis & forma generati, & agens non incidunt in idem numero, ut dicitur in 2. Physic. Quia finis generationis est forma generati. Sed Deus est primum agens omnium. Non ergo est causa finalis omnium.

3. Præterea. Finem omnia appetunt. Sed Deum non omnia appetunt: quia neque omnia ipsum cognoscunt. Deus ergo non est omnium finis.

4. Præterea. Finalis causa est prima causarum. Si igitur Deus sit causa agens & causa finalis, sequitur quod in eo sit prius & posterius. Quod est impossibile. Sed contra est, quod dicitur Prouerb. 16. Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.

Respondeo dicendum, quod omne agens agit propter finem. Alioquin ex actione agentis non magis sequeretur hoc quam illud, nisi à causa. Est autem idem finis agentis & patientis in quantum huiusmodi, sed aliter & aliter. Vnum enim & idem est quod agens intendit impingere, & quod patiens intendit recipere. Sunt autem quædam quæ simul agunt & patiuntur, quæ sunt agentia imperfecta, & his conuenit, quod etiam in agendo intendant aliquid acquirere. Sed primo agenti, qui est agens tantum, non conuenit agere propter acquisitionem mali.

Passages in 1. p. tom. 2.

cuius finis, sed intendit solum communicare suam perfectionem, quæ est eius bonitas. Et vnaquæque creatura intendit consequi suam perfectionem, quæ est similitudo perfectionis & bonitatis diuinæ. Sic ergo diuina bonitas est finis rerum omnium.

Ad primum ergo dicendum, quod agere propter indigentiam non est nisi agentis imperfecti: quod natum est agere & pati. Sed hoc Deo non competit. Et ideo ipse solus est maxime liberalis: quia non agit propter suam vtilitatem, sed solum propter suam bonitatem.

Ad secundum dicendum, quod forma generati non est finis generationis, nisi in quantum est similitudo formæ generantis, quod suam similitudinem communicare intendit. Alias forma generati esset nobilior generante, cum finis sit nobilior his quæ sunt ad finem.

Ad tertium dicendum, quod omnia appetunt Deum ut finem, appetendo quod cumque bonum, siue appetitu intelligibili, siue sensibili siue naturali, qui est sine cognitione. Quia nihil habet rationem boni & appetibilis, nisi secundum quod participat Dei similitudinem.

Ad quartum dicendum, quod cum Deus sit causa efficiens, exemplaris & finalis omnium rerum, & materia prima sit ab ipso: sequitur quod primum omnium rerum sit vnum secundum rem. Nihil tamen prohibet in eo considerari multa secundum rationem, quorum quædam prius cadant in intellectu nostro quam alia.

Notationes circa articulum.

CONCLUSIO est affirmas, & de fide ut constat ex illo, Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, Prouerb. 16. Hinc primum obserua, non quæri à S. Thom. in tota hac quæstione, an Deus sit causa formalis rerum; sed de aliis duntaxat causæ generibus inquiri: quia iam quæst. 3. artic. 8. probauerat, Deum non posse venire in compositionem alicuius: causa autem formalis semper componitur id, cuius est causa. Deinde nota, Deum non esse finem cuius gratia; hic enim finis sit per operationem; Deus autem non fit: sed esse finem cui; quia omnia cedunt in laudem, & gloriam ipsius, quæ fiunt in hoc mundo. De qua distinctione finis cuius gratia, & finis cui plura diximus 3. libro de cultu adorationis, disput. 1. cap. 6. & dicemus 1. disput. 2. cap. 3. quomodo autem Deus habeat, & respiciat seipsum tanquam finem; & utrum aliquid creatum possit illi ut finis comparari, an non, diximus supra disp. 28.

De modo emanationis rerum à primo principio.

DEinde quæritur de Modo emanationis rerum à primo principio: qui dicitur creatio.

De qua quærentur octo.

ARTIC. I.

Verum, creare sit ex nihilo aliquid facere.

238.

2. d. 1. q. 2. ar.

2. Et po. q. 3.

ar. 1.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod creare non sit ex nihilo aliquid facere: dicit enim Augustinus contra aduersarium legis & Prophetarum. Facere est quod omnino non erat: creare vero est ex eo, quod iam erat, educendo aliquid constituere.

2. Præterea. Nobilitas actionis & motus ex terminis consideratur. Nobilior igitur est actio, quæ ex bono in bonum est, & ex ente in ens, quam quæ est ex nihilo in aliquid. Sed creatio videtur esse nobilissima actio, & prima inter omnes actiones. Ergo non est ex nihilo in aliquid, sed magis ex ente in ens.

3. Præterea. Hæc præpositio, ex, importat habitudinem alicuius causæ & maxime materialis: sicut cum dicimus quod statua fit ex ære. Sed nihil non potest esse materia entis, nec aliquod modo causa eius. Ergo creare non est ex nihilo aliquid facere.

Beatus in hunc loc. 10. 1.

Q. præced. art. 2.

Sed contra est, quod super illud Genesis 1. In principio creauit Deus cælum, & c. dicit glossa quod creare est aliquid ex nihilo facere.

Respondetur dicendum, quod sicut supra dictum est, non solum oportet considerare emanationem alicuius entis particularis ab aliquo particulari agente, sed etiam emanationem totius entis à causa vniuersali, quæ est Deus: & hanc quidem emanationem designamus nomine creationis. Quod autem procedit secundum emanationem particularem, non præsupponitur emanationi. Sicut si generatur homo, non fuit prius homo, sed homo fit ex non homine, & album ex non albo. Vnde si consideretur emanatio totius entis vniuersalis à primo principio, impossibile est quod aliquid ens præsupponatur huic emanationi. Idem autem est nihil, quod nullum ens. Sicut igitur generatio hominis est ex non ente, quod est non homo: ita creatio quæ est emanatio totius esse est ex non ente, quod est nihil.

In corp. ar.

Ad primum ergo dicendum, quod August. æquiuoce vitur nomine creationis secundum quod creati dicuntur ea, quæ in melius reformatur, ut cum dicitur aliquis creari in Episcopum. Sic autem

ARTIC. II.

non loquimur hic de creatione, sed sicut dictum est.

Ad secundum, dicendum quod mutationes accipiunt speciem & dignitatem non à termino à quo, sed à termino ad quem. Tanto ergo perfectior & prior est aliqua mutatio, quāto terminus ad quem illius mutationis est nobilior & prior, licet terminus à quo, qui opponitur termino ad quem, sit imperfectior. Sicut generatio simpliciter est nobilior & prior quā alteratio propter hoc quod forma substantialis est nobilior, quam forma accidentalis: tamen priuatio substantialis formæ, quæ est terminus à quo in generatione, est imperfectior quam contrarium, quod est terminus à quo in alteratione. Et similiter creatio est perfectior quam generatio & alteratio, quia terminus ad quem est tota substantia rei. Id autem quod intelligitur ut terminus à quo, est simpliciter non ens.

Ad tertium dicendum, quod cum dicitur aliquid ex nihilo fieri, hæc præpositio ex, non designat causam materiale, sed ordinem tantum, sicut cum dicitur, ex mane fit meridies, id est, post mane fit meridies. Sed intelligendum est quod hæc præpositio, ex, potest includere negationem importatam in hoc quod dico nihil, vel includi ab ea. Si primo modo, tunc ordo remanet affirmatus, & ostenditur ordo eius quod est ad non esse præcedens. Si vero negatio includat præpositionem, tunc ordo negatur, & est sentius. Fit ex nihilo, id est, non fit ex aliquo: sicut si dicatur, iste loquitur de nihilo, qui non loquitur de aliquo. Et utroque modo verificatur cum dicitur ex nihilo aliquid fieri. Sed primo modo hæc præpositio, ex, importat ordinem, ut dictum est. Secundo modo importat habitudinem causæ materialis, quæ negatur.

CONCLUSIO est, Creatio, quæ est emanatio totius entis, est ex non ente, quod est nihil. Circa tertium S. Thomæ nihil aliud notandum occurrat, præter explicationem huius definitionis, ex qua multa pendent, quæ de creatione dicenda sunt: hæc autem tradetur seq. disp.

DISPUT. CLXXII.

An creatio sit productio ex nihilo.

Sententia Wilelmi. cap. 1.

Resolvitur prædicta sententia. cap. 2.

Exponitur definitio creationis. cap. 3.

CAPVT I.

Sententia Wilelmi.

Verbum creare, & notien, credit, ut patet in lent & secundum latiore significationem proprie pro eo, quod est de nihilo aliquid prodigere. Nam quamuis interdum in Scriptura & Sanctis Patribus creatio sumatur pro renouatione, & regere.